



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Sed an Filius cupiens ingredi Religionem, tenetur in sæculo remanere, ut  
parentum necessitati subveniat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



rem se indignam, vel nolit sine justa causa ducere quam parentes volunt, ob magnum familiæ bonum, si filia contra prohibitionem domo egrediatur, vel sola noctu viros alloquatur, &c.

Non debent autem filii parentibus obedire, cum aliquid præcipiunt vel vetant contra Dei, vel Ecclesiæ præcepta, aut Consilia Evangelica: nam *obedire oportet Deo magis quam hominibus. Act. 5.* neque quoad electionem statûs; nam hæc pendet à divina vocatione. Debent tamen consensum & consilium petere, non autem sequi, nisi sit consentaneum vocationi divinæ.

Porrò Filius familias, si parentes ejus operâ non egeant, potest à paterna domo discedere ad discendam aliquam artem honestam statui suo convenientem, vel quærendum aliquod vitæ genus honestum, per tã facultate, quam Pater ei denegare non potest, ex l. ult. ff. *de liber. exhib.*

*Not.* Eadem fere ratio est de avo, pro avo & quolibet ascendente, respectu nepotis, pro nepotis & cujuslibet descendens, & vicissim: nam hi omnes Considerantur quasi Patres & Filii, quippe ascendentes sunt mediati pro genitores, *De Lugo.*

*Sed an Filius cupiens ingredi Religionem, tenetur in seculo remanere, ut parentum necessitati subveniat?*

*Resp. Aff. Si necessitas sit extrema vel gravis*

H §

vis



vis, nec alius possit aut velit iis opitulari, & possit ipse remanendo in sæculo. *Est communis*, quia subvenire parentibus graviter indigentibus est præcepti divini naturalis: ingredi autem Religionem per se est tantum consilii. At propter opus consilii non est omittendum præceptum, utpote obligatorium. Imò cum Religio cessat esse opus Consilii respectu Filii, cum tunc sit ei illicita. Unde Christus, Matth. 5. arguit Phariseos, quòd suaderent, ut eroganda parentibus egenis impenderentur in cultum divinum. Quòd verum est, etiamsi Filius voverit Religionem: nam illud votum solum est de ingressu Religionis, quatenus est opus consilii, nec impedit observationem præcepti divini. At ingredi Religionem relictis parentibus in gravi necessitate, non est opus consilii, & impedit observationem præcepti divini.

*Si vero non sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt prætermissio parentum obsequio filii Religionem intrare, etiam contra præceptum parentum: quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantum ad ea quæ pertinent ad dispositionem sui statûs, præsertim in his quæ sunt divini obsequii; & magis est obtemperandum Patri spirituum, ut vivamus, quàm parentibus carnis, ut Apost. dicit ad Heb. 2. ita S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 6.*

Porro neque parentibus licet ingredi Religionem, dum liberi carent necessariis ad sustentationem.



stentationem vel educationem suo statui convenientem: cum parentes jure naturali teneantur ea liberis providere; nec liceat Deum tentare, ordinaria media omitendo sub spe divini auxilii. S. Thom. loco cit. nisi sufficienter illis provideant de rebus necessariis ad vitam & statum, & illos per alios rectè instituere possint.

*Not.* Nemo tenetur in sæculo remanere propter Fratrum vel Sororum aut aliorum propinquorum necessitatem gravem, sed non extremam: quia nemo tantum iis debet, nec ita strictè tenetur iis subvenire, sicut parentibus: nisi tamen Fratres vel Sorores sint adhuc sub cura Patris aut Matris, nam tunc creant vel augent necessitatem ejus: quippe sub necessitate parentis includuntur omnia quæ pertinent ad statum & munus suum, inter quæ præcipuum locum habet conveniens liberorum educatio ac cura. Atque ita ratione parentis sic obligari quis potest erga Fratres suos; qui tunc considerantur ut pars ejusdem parentis. *Ita Suarez.*

*Sed quod si Filius Professionem jam emisit, an tenetur egredi, ut parentibus succurrat?*

*Resp.* Juxta multos tenetur, si parentum necessitas sit extrema; cui aliter subvenire nequeat, sive illa ante sive post Professionem evenierit: quia in utroque casu aequaliter urget præceptum pietatis, nec minus sunt illius paren-